



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

54. Speculatores domus &c. Constitutio, qua plura declarantur, ac
præscribuntur pro tollendis abusibus, & fraudibus circa Ordinationes
alienorum subditorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

tum cum Domino possumus, consulere cupientes, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus aegrotis in Archihospitali Sancti Spiritus in Saxia de Urbe pro tempore morientibus, in cuius-
cunque eorum mortis articulo, si verè poenitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, Nomen JESU ore, si potuerint, sin minus corde devotè invocaverint, Plenarium omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die 18. Augusti 1694. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

J. F. Card. Albanus.

Dat. 18.
Aug. 1694.
P. A. 4.

LIV.

Constitutio, quâ plura declarantur, ac præscribuntur pro tollendis abusibus, & fraudibus, circa Ordinationes alienorum Subditorum.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*Proce-
mium.

Speculatores Domus Israël, quæ est Sancta Dei Ecclesia, per ineffabilem Divinæ Bonitatis abundantiam constituti, eò potissimum ab ipsis Pontificatus Nostri primordiis Pastoralis vigiliæ nostræ studia convertenda esse duximus, ut, qui in sortem Domini vocantur, sacræque addicuntur ministeriis, quippe quos irreprehensibiles esse convenit, ut præelle valeant, corrigendis, ac in quos tanquam in speculum reliqui oculos concipiunt, ex iisque sumunt quod imitentur, tales sint, qui dignè possint Dominica Sacramenta tractare, ac ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.

Narratur
Decretum
Sanctis
Sux super
forma con-
cedendi
Indulta
extra tem-
pora.

§. 1. Sanè hoc inito consilio, non alios, quantum fieri potest, quam qui in sanctitate, & iustitia per ordinatissimos Ecclesiasticæ Militiæ gradus statim intervallis ambulaverint, ac piè, & fideliter in ministeriis antea actis se gesserint, ad Sacerdotium assumi, sacræque ordinationes, juxta priscum Ecclesiæ morem, præscriptis à jure temporibus orationi, & jejuniis consecratis, haberi cupientes, se veriore quamdam in concedendis Indultis suscipiendi sacros Ordines extra tempora hujusmodi, & interstitiis ad id designatis minime servatis, ultro Nobis proposuimus adhibendam rationem; quâ videlicet servatâ, ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalis honor non probatis minime tribuatur, nec unquam heri profani, hodiè sacrorum Antistites, veteres vitio, virtute rudes, & recentes, discipuli simul, ac Magistri pietatis creentur; sed ii tantum, juxta constitutas à Majoribus Leges, ab humili gradu fidelis Populi ad sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui post mutatum habitum secularem diuturna conversatione inter Clericos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint, quæ postmodum alios docere tenentur.

Dispositio
Concilii
Trid. de
non ordi-
nandis ad
titulum
patrimonii
nisi ob ne-
cessitatē,
vel utilita-
tem Eccle-
siæ, non in-
telligitur
relaxata
per Indul-
ta extra
tempora.

§. 2. Cæterum per eas ipsa Indulta, quæ super præmissis parcius quidem, ac ex certis tantum, & magis rationabilibus causis concedere decrevimus, contrariâ quavis illorum interpretatione penitus improbatâ, salutarem illam, quam sacri Generalis Tridentini Concilii Decreta de non ordinandis ad patrimonii titulum nisi illis, quos Episcopi pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum assumendos judicaverint, præscribunt disciplinam, nequaquam relaxatam intelligi; quinimò nec un-

quam ad Indulta hujusmodi exequenda Episcopos ipsos arcere, sed illorum executionem arbitrio semper eorundem Episcoporum, quorum conscientias hac in re strictissime oneratas volumus, prorsus relinquere declaravimus; sperantes in Domino eos, qui, juxta Apostoli monitum, nemini citò manus imponendas esse, probè norunt, sibi, & universo gregi attendentes, in quo eos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, reverenda ipsis Spiritibus Angelicis ministeria ab Homines sine consideratione apprehendi nunquam permitturos, nec temerè præcipi passuros, quæ vita probata dumtaxat accipere promeretur.

§. 3. Omnes insuper, & singulos cujuscumque tandem gradus, Ordinis, & Dignitatis fuerint, quibus ex hujus Sanctæ Sedis gratia sacros Ordines præfatos extrâ eadem tempora conferendi, vel aliis, ut illos sic conferre valeant, indulgendi potestas fieri consuevit, cum divinos Ordines largiri districti semper esse judicii oporteat, seriò monitos volumus, ut præscriptos sibi desuper in suis quique facultatibus terminos religiosè custodiant, nec eos cujusvis consuetudinis, aut exempli prætextu ullatenus transgrediantur.

§. 4. Verum quò impensius Apostolicæ gubernationis curam, & cogitationes in hæc intendimus, eò majori cum animi nostri dolore ex quamplurimum Venerabilium Fratrum nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum in diversis Regionibus existentium delatis ad Nos querelis accepimus, graviora quotidie malignari inimicum in Sancto, sacrilegâ scilicet illorum impudentiâ in dies crescente, qui propriæ salutis immemores, Clericales Ordines sibi forsân à propriis Præsulibus denegatos, seu quos, aliquibus canonicis sibi obstantibus impedimentis, denegari merito verentur, ab alienis Episcopis, non, quæ JESU Christi, sed eas, quæ ad ipsos non pertinent, Oves in animarum suarum perniciem querentibus, nec tor Canonicas damnationes contra usurpantes alienæ Plebis hominem latas perhorrescentibus, absque suorum Prælatorum commeatu, hoc est Dimissoriis, Commendatitiisve eorum literis destituti, quinimò eis inficiis, & sæpe etiam invitis, sub minus legitimis Beneficii Ecclesiastici, Originis, Domicii, seu etiam Familiaritatis, ac continuæ Ordinationum Episcoporum commensalitatibus quæsitis titulis, in sacrarum legum fraudem, & contemptum, illegitimè suscipiunt, atque ita non intrantes per ostium, & nihilominus Tabernaculum Domini cum macula inhabitare non dubitantes, sacrificium in sacrilegium convertunt, judicium non præsumentes, non modo eum non placent, sed magis irritant, dum videntur in cordibus suis dicere: non requirent.

§. 5. Hinc est quod Nos ex commissæ Nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere, abusus, fraudes, ac scandala hujusmodi penitus, & omnino è medio tollere, ac irreligiosam contrafacientium audaciam, quantum Nobis ex alto conceditur, compescere, & reprimere volentes, necnon fel. rec. Urbani VIII. contra malè ordinantes, & malè ordinatos, quæ incipit: *Severis*, aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, ac etiam Conciliaribus hac in re editis Constitutionibus, & Ordinationibus inherentes, illasque quoad ea, quæ præsentibus non adversantur, quatenus opus sit, innovantes; de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ejusdem Concilii Tridentini Interpretum, qui quæcumque antehac super præmissis ab ipso Cardinalium Congregatione in particularibus casibus edita decreta, declarationes, seu responsa ad earundem præsentium limites reducenda esse consueverunt, consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ad Omnipotentis Dei Gloriam, Ecclesiæ utilitatem, veteris disciplinæ instaurationem, totiusque Christiani Populi ædificationem, Hac

Motio ad
eos, qui
gaudent
Indulto
conferen-
di Ordines
extra
tempora.Motiva
præsentis
Constitu-
tionis ad
querelas
plurimum
Archiepi-
scoporum,
& Episco-
porum.Declara-
tiones Sac.
Congre-
gat. Con-
cilii intel-
ligenda ad
terminos
præsentis
Constitu-
tionis.

Nulli licet
promove-
re exte-
riorem
prætextu
Originis,
Domicilii,
aut Benefi-
cii mox
conferen-
di prima
tonsurâ in-
signire.

Clericus
jam non
potest ab
alio pro-
moveri ra-
tione sub-
jectionis
ex Benefi-
cio abique
Testimo-
nialibus
Episcopo-
rum Ori-
ginis, &
Domicilii.
Benefi-
cium ad
effectum
subjectionis
pro Ordi-
nibus
debet suf-
ficere ad
congruam
detractis
oneribus.

De Testi-
moniali-
bus & suf-
ficientia fi-
at expressa
mentio in
Testimo-
nialibus
Ordina-
tionis.
Origo in-
telligitur
de nativi-
tate in lo-
co non ac-
cidental-
i, quia tunc
attenditur
nativitas
Patris.

De mora
in loco na-
tivitatis
accidental-
is.

De Domici-
lio Pa-
trino in
loco nati-
vitat-
is acci-
dentalis.

Domici-
lium ad ef-
fectum
Ordinum
qualiter
intelliga-
tur.

generali nostra, & perpetuò valitura Constitutione decernimus, & declaramus.

§. 6. Nulli Episcopo, seu cujusvis loci Ordinario, tametsi Cardinalatus honore fulgeat, licere exte-riorem quempiam, ac sibi ratione Originis, seu Domicilii, juxta modum inferius declarandum, legiti-
mè contracti non Subditum ad Clericalem tonsu-
ram promovere, cujusvis Beneficii Ecclesiastici, ei
statim ac tonsurâ hujusmodi insignitus fuerit, con-
ferendi, seu ad quod is à Patronis jam præsentatus,
seu nominatus fuerit, prætextu, etiam si Benefi-
cium prædictum de novo ea expressè adjecta lege
fundatum fuisse constiterit, ut quis immediatè
post Clericalem characterem susceptum ad illud in-
stituatur.

§. 7. Præterea Clericum, qui legitime jam à
proprio Episcopo ad eandem Clericalem tonsuram,
seu etiam ad minores Ordines promotus fuerit,
non posse ab alio Episcopo, ratione ac titulo cu-
juscumque Beneficii in illius Diocesi obtenti, ad ul-
teriores Ordines promoveri, nisi ante eorumdem
susceptionem Testimoniales litteras proprii Episco-
pi tam Originis, quam Domicilii super suis Nata-
libus, ætate, moribus, & vita sibi concedi obti-
nuerit, easque Episcopo Ordinanti in actis illius Cu-
riæ conservandas exhibuerit.

§. 8. Licet verò Clericus ratione cujusvis Be-
neficii in aliena Diocesi obtenti subjici dicatur Ju-
risdictioni illius Episcopi, in cujus Diocesi Bene-
ficio hujusmodi situm est, eam tamen de cete-
ro hac in re inconcussè servari volumus Regulam,
ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum susci-
piendi Ordines acquirere censetur, nisi Benefi-
cium prædictum ejus sit redditus, ut ad congruam
vitæ sustentationem sive juxta Taxam Synodalem,
sive, ea deficiente, juxta morem Regionis pro
promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneri-
bus, per se sufficiat; illudque ab Ordinando pa-
cificè possideatur, sublata quacumque facultate sup-
plendi quod deficeret fructibus ejusdem Beneficii
cum adjectione Patrimonii etiam pinguis, quod
ipse Ordinandus in eadem, seu alia quavis Dioc-
esi obtineret: ac Episcopus sic Ordinans tam
de prædictis Testimonialibus Litteris, quam de
reditu Beneficii hujusmodi expressam in consueta
collatorum Ordinum attestatione mentionem facere
debebit.

§. 9. Cæterum Subditus ratione Originis is
tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter
ortus est in ea Diocesi, in qua ad Ordines pro-
moveri desiderat, dummodò tamen ibi natus n-
fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris,
Officii, Legationis, Mercaturæ, vel cujusvis al-
terius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus Pa-
tris in illo loco, quo casu nullatenus ejusmodi for-
tuita nativitas, sed vera tantum, & naturalis Pa-
tris origo erit attendenda. Quòd si quis tanto
temporis spatio in eo loco, in quo ex acciden-
ti, sicut præmittitur, natus est, moram traxe-
rit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedi-
mento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci
litteras Testimoniales, ut supra, obtinere, illas-
que Episcopo Ordinanti per eum in collatorum Ordi-
num Testimonio similiter recensendas præsentare
teneatur.

§. 10. At si Pater in alieno loco, ubi ejus fi-
lius natus est, tamdiu, ac eo animo permanse-
rit, ut inibi vere Domicilium de Jure contraxe-
rit, tunc non origo Patris, sed Domicilium per
Patrem legitime, ut præfertur contractum pro Or-
dinatione ejusdem filii attendi debeat.

§. 11. Subditus autem ratione Domicilii ad
effectum suscipiendi Ordines is dumtaxat censetur,
qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo
stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per
decennium saltem in eo habitando, vel majorem
rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis

Ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibi-
que insuper per aliquod considerabile tempus com-
morando, satis superque suum perpetuò ibidem
permanendi animum demonstraverit; & nihilo-
minus ulterius utroque casu severe, & realiter ani-
mum hujusmodi habere jurejurando affirmet.

§. 12. Si quis tamen à propriæ originis loco
in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui cano-
nico impedimento obnoxius effici, etiam Ordina-
rii suæ originis testimoniales litteras, ut supra,
asserere debebit, ac de illis expressa similiter mentio
in susceptorum Ordinum Litteris facienda erit.

§. 13. Ad hæc nullus Episcopus alienæ Dioc-
esis Subditum Familiarem suum ad aliquos Sacros,
seu Minores Ordines, vel etiam primam tonsuram
promovere, seu ordinare præsumat absque ejus
proprii, originis scilicet, seu Domicilii Prælati Te-
stimonialibus Litteris, ut supra, & nisi ad præ-
scriptum Concilii Tridentini præfati sess. XXIII.
cap. 9. *De Reform.* Familiarem prædictum per in-
tegrum, & completum triennium in suo actuali
servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit;
Beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentan-
dam, juxta modum superius præfinitum, sufficiat,
quacumque fraude cessante, statim, hoc est saltem
intra terminum unius mensis à die factæ ordina-
tionis, re ipsa illi conferat, ac in Ordinationis hu-
jusmodi Testimonio expressam itidem familiarita-
tis, ac litterarum prædictarum mentionem facere
teneatur.

§. 14. Porro, ut quibuscumque fraudibus aditus
omniò præcludatur, volumus, & Apostolica Au-
thoritate statuimus, atque decernimus, ut Episco-
pus quilibet suos ratione Originis, sive Domicilii
Subditos Clericos quoscumque ab alienis Episco-
pis quavis autoritate, etiam cum suis Commen-
datiis Litteris promotos, nedum ad formam Con-
cilii Tridentini prædicti sess. XIV. cap. 3. *De Re-
format.* quoad scientiam examinare valeat, verum
etiam Ordinum eis collatorum testimoniales Litteras,
gratis tamen, recognoscere, ac diligenter per-
quirere, an quoad illos præsentis Constitutionis
forma, & dispositio adimpleta fuerit, assignato
sic promotis termino competenti ei magis bene-
vifo ad docendum de ejusmodi adimplemento, ita
ut quos eo termino elapso id minimè præstitisse
comperit, à Susceptorum Ordinum exercitio,
si ita, & quamdiu ei expedire videbitur, suspen-
dere, illisque, ne in Altari, aut in aliquo Ordine mi-
nistrent, interdicere possit.

§. 15. Ità verò præmissa omnia, & singula per-
petuò, ac inviolabiliter observari, atque adimple-
ri volumus, ut si quid in iisdem præmissis, seu
eorum aliquo fecus hat, Ordinans quidem à Col-
latione Ordinum per annum, Ordinatus verò à
susceptorum Ordinum executione, quamdiu pro-
prio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspen-
sus sit, aliisque insuper gravioribus penis pro mo-
do culpæ nostro, & pro tempore existentis Romani
Pontificis arbitrio infligendis uterque subiaceat.

§. 16. Decernentes pariter easdem præsentis Lit-
teras semper firmas, validas, & efficaces existere &
fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri,
& obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tem-
pore quandocumque spectabit in omnibus, & per
omnia plenissimè, & inviolabiliter observari. Sicque
& non aliter per quoscumque Judices Ordinarios,
& Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Au-
ditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de
latere Legatos, ac Sedis præfatæ Nuncios, aliosve
quoslibet quacumque præeminentia, & potestate
fungentes, & functuros; Sublatâ eis, & eorum
cuiuslibet quavis aliter judicandi, & interpretandi fa-
cultate, & autoritate, ubique judicari, & definiri
debere; Ac irritum, & inane, si fecus super his à
quoquam quavis autoritate scienter vel ignoran-
ter contigerit attentari.

§. 17. Non obstantibus præmissis, ac Consti-
tutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon

Ordinan-
di ratione
Domicilii
quo casu
indigeant
testimo-
nialibus
Ordinarii
originis.
Familiarita-
tis ratio-
ne promo-
vendus in-
diget etiã
testimonia-
libus, Be-
neficium
sic ad con-
gruam suf-
ficiens, &
conferen-
dum intra
mensem.

Diligen-
tiaz adhi-
benda ab
Episcopis
in reco-
gnoscen-
dis Ordi-
nati-
onibus Subdi-
torum fa-
ctas ab al-
ienis, &
pena im-
ponenda.

Penæ Or-
dinantium
& Ordina-
torum con-
tra præ-
scriptum
hujus Con-
stitutionis.

Decreta
roborata.

Deroga-
tiones.

qui-

quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & in solitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu scientia & potestatis plenitudine paribus, in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & infererentur, nihil penitus omisso, & formam in illis traditam observatam, eisdem præsentibus pro expressis, & insertis habentes, alii rursus in suo robore permanentis, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio
ad Valvas
vini ha-
beat inti-
mationis
personalis

§. 18. Volumus autem, ut præsentis Litteræ in valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, ac in Aciæ Campi Floræ de Urbe, ut moris est, publicentur, & affigantur, sicque publicatæ, & affixæ, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde ardeant, & efficiant, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent.

Fides
transsum-
ptorum.

§. 19. Quodque earundem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extrâ illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus exhibetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio
poenalis.

§. 20. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum Decretorum, Declarationis, Voluntatis, Statuti, & Derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

D. 4. Nov.
1694. P.
A. 4.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto, Pridiæ Nonas Novembris, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

B. Card. Prodatarius.

J. F. CARD. ALBANUS.

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. CIAMPINUS.

Loco + plumbi.

Registrata in Secret. Brevium.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto, Indictione secunda, die sexta mensis Novembris; Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri, Domini INNOCENTII, Divinâ Providentiâ Papæ XII. Anno Quarto: Supradictæ Litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Aciæ Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Thomam Orlandum ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Franciscus Antonius Simoncellus Magister. 'Curs.

Confirmatio Indulgentiarum ab Innocentio XI. concessarum pro Christi fidelibus comitantibus Sanctissimum Sacramentum, dum ad Infirmos pro Viatico deferretur, cum concessione alterius Indulgentiæ pro iis, qui illud comitari præditi, lumen ea occasione deferendum miserint.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

DEBITUM Pastoralis Officii, quo Catholica Ecclesiæ Regimini Divina dispositione præsidemus, exigit, ut ad augendam fidelium Religionem, promovendamque Animarum salutem pia charitate intenti, Spiritualium gratiarum concessiones, quæ à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostri ad incitandam, fovendamque eorumdem fidelium erga Sanctissimum, Augustissimumque Corporis, & Sanguinis Domini Nostri JESU Christi Sacramentum, pietatem, atque devotionem providere, & salubriter emanasse noscuntur, Apostolici muniminis nostri patrocinio roborescent, ejusdemque Sanctissimi Sacramenti Cultum uberiori Cœlestium munerum largitione, quantum Nobis ex Alto conceditur, ampliare studeamus.

Proce-
mium.

§. 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Innocentius Papa XI. Prædecessor Noster omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, tam in Alma Urbe Nostra tunc sua, quam alibi ubicunque locorum degentibus, qui præfatum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, cum ad Infirmos pro Viatico deferretur, devotè comitati fuissent, ac pro Christianorum Principium concordia, hæresium extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, quacunque vice id egissent, si cum lumine, septem annos, & totidem quadragenas, si verò sine lumine illud, ut præfertur, comitati fuissent, quinque annos, & quinque quadragenas respectivè de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet per eos debitis poenitentis in forma Ecclesiæ consueta sub certis modo, & forma tunc expressis misericorditer in Domino relaxavit, & aliàs prout in ipsis Innocentii Prædecessoris Litteris desuper in simili forma Brevis die prima Octobris 1678. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inferro haberi volumus, uberius continetur.

Narrat in-
dulgentias
à Præde-
cessore
concessas
comitari
Sanctiss.
Sacramen-
tum pro
Viatico

§. 2. Nunc autem Nos memorati Sanctissimi Sacramenti venerationem in dies magis, magisque augeri, piisque, ac laudabilem, quem benedictente Domino in Urbe præfata, ex qua bonorum operum exempla in omnes Christiani Orbis partes diffunduntur, Sacratissimum hoc salutis nostræ pignus, cum ad infirmos deferretur, decentius comitandi morem, certis desuper dilecti filii nostri in eadem Urbe Vicarii in Spiritualibus Generalis auctoritate præscriptis regulis, institui curavimus, ubique locorum, & gentium extendi, & propagari summopere cupientes; Concessionem à memorato Innocentio Prædecessore, sicut præmittitur, factam, ac desuper expeditas ejus litteras præfatas, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innovamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Indicat
præscri-
pta in Ur-
be pro ma-
jori vene-
ratione in
comitan-
do.

§. 3. Præterea omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus ubicunque existentibus, qui legitimo aliquo impedimento detenti, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum supradictum, cum illud ad infirmos deferri contigerit, personaliter comitari nequiverint, sed tamen lumen, seu faciem per alios ea occasione deferendam miserint, & ut præfertur, oraverint, quacunque vice id egerint, tres annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu

Approbat
concessio-
nem ab In-
nocentio
XI. factam

Extendit
concessio-
nem ad uni-
versos
Fideles
conceden-
do Indul-
gentiam
mittenti-
bus lumen